

quod in patiente est qualitas contraria, quæ resistit actioni alterantis, quam oportet successive expelli. Sed cum lux non habeat contrarium, sicut nec forma substantialis, diaphanum ad præsentiam illuminantis statim lumen recipit, sicut materia statim necessitata per alterationem præcedentem recipit formam substantialem. Et ideo sicut generatio est terminus alterationis, ita illuminato motus localis, quo illuminans fit præsens illuminato, ut dicit Comment. in VI. Phys. cap. 11.

Ad decimum dicendum, quod, sicut dicit Dionysius in IV. cap. de div. Nomin. lumen solis recipitur in diversis corporibus diversimode secundum diversam capacitatem eorum; & ideo aliqua sunt quæ illuminantur in superficie tantum, ut corpora opaca; aliqua vero sunt quæ illuminantur etiam in profundo, sicut diaphana, quæ tamen lucem non retinent, quia imperfecte lumen recipiunt: unde oportet quod lumen in eis cesset absente illuminante; alia vero sunt quæ perfectius lumen recipiunt, & lumen tenent, ut carbunculus, & huiusmodi.

ARTICULUS IV.

Utrum productio lucis convenienter recitetur.

I. P. quæst. LXXVII. art. 4.

1. **A**D quartum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter lucis productio recitetur. Cum enim Deus lux sit, non decet eum ut à tenebris opera sua inchoet. Sed ante lucem tenebræ fuerunt. Ergo videtur quod lux debeat esse de primo creatis, non ad opus distinctionis, sed ad opus creationis pertinens.

2. Præterea. Lux invenitur in pluribus corporibus: nec omnium corporum est lux una. Ergo videtur quod inconvenienter unius tantum lucis productio describatur, in illo tantum loco existentis ubi nunc est sol, ut in littera dicitur.

3. Præterea. Dies, & nox non fuerunt nisi secundum accessum, & recessum luminarium. Sed hoc non potest esse nisi per motum circulem lux deferatur. Cum ergo firmamentum, quod circulariter movetur, secunda die sit factum, videtur quod inconvenienter in prima die secundum lucem tunc creatam dies, & nox commemoretur.

4. Præterea. Omne quod fit ex aliquo, fit ex incontinenti, id est contrario, ut ex I. Phys. text. XLIII. patet. Sed soli non est aliquod contrarium. Ergo non potest esse quod ex luce tunc creata sol factus fuerit.

5. Præterea. Ut in II. Meteor. cap. 11. & 111. habetur, nubes ex vaporibus congregantur, qui ex terra, & aquis resoluti superius ascendunt. Sed corpora superiora non communicant in materia cum inferioribus, ut supra dictum est. Ergo lux ex qua sol quasi ex materia postmodum factus dicitur, nubes esse non potuit.

Sed in contrarium sunt quæ in littera dicuntur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est, lux est qualitas activa corporis celestis, sicut calor est qualitas activa ignis. Calor autem habet quandam actionem communem, in quantum est calor: quia secundum quod in diversis rebus invenitur, determinatur sua actio ad determinatos effectus, sicut calor qui est in homine, operatur ad conversionem

cibi in carnem humanam, & in planta ad substantiam plantæ. Ita etiam & lux, quamvis habeat actionem consequentem naturam lucis, in quantum huiusmodi, determinatur tamen sua actio, secundum quod in diversis recipitur ad diversos effectus: unde alium effectum habet radius Saturni quam Jovis. Secundum hoc ergo dico, quod ipsa lux secundum virtutem communem pertinet ad opus distinctionis, sicut & calor; sed ideo inter opera distinctionis primo ponitur, quia primi corporis qualitas activa est. Sed postea determinatio ad diversos effectus secundum diversas virtutes corporibus celestibus collatas pertinet ad opus ornatus. Et ideo dicit Dionysius in IV. capit. de div. Nomin. quod lumen solare est illud lumen quod Moyses in tribus diebus nostri temporis narrat; quamvis tunc informe esset, quia scilicet terminatio virtutis non aderat.

Ad primum ergo dicendum, quod circa hoc est duplex opinio.

Quidam enim dicunt, quod opus distinctionis statim cum opere creationis incipit; & ideo statim lux creata est cum primo creatis: & sic patet quod non à tenebris opus Dei inchoavit. Et hoc quidem oportet dicere secundum expositionem Augustini, Lib. III. super Gen. ad lit. cap. 1. quamvis etiam Augustinus velit quod productio informis materiæ intelligatur ante omnem diem, non tempore, sed natura.

Alii vero dicunt, quod prius tempore fuit opus creationis, & postea per aliquod intervallum temporis formata est lux, & tunc dies primo incipit; unde dicunt creationis opus ante omnem diem fuisse. Et hoc quidem magis consonat litteræ Genesis secundum suum sensum planum: statim enim posita creatione, tenebras super faciem abyssi commemorat, & postmodum de lucis productione dicit. Nec tamen est inconveniens tenebras præcedentes non in genere privationis ponere: quia privatio esse non potuit antequam natura habitus oppositi, scilicet lucis, corporibus indita esset; sicut nec carulus ante nonum diem cæcus, vel privatus visu dicitur: unde per tenebras præcedentes lucem imperfectio corporalis naturæ ostenditur, quam quidem ex Deo non habet, à quo habet omnino id quod perfectionis est. Decens est autem ut ab imperfectio ad perfectum divina opera adducerentur, ut sic ab ipso omnis perfectio esse ostenderetur. Unde dicit Augustinus in II. super Gen. cap. v. quod si aliquid imperfectum Deus fecisse dicitur, quod postmodum ipse perficeret, nihil reprehensionis habet ista sententia.

Ad secundum dicendum, quod in lucis productione intelligitur proprietas luciditatis, & diaphaneitatis, quæ ad lucis genus reducitur, omnibus corporibus lucidis, & diaphanis collata fuisse; sed tamen, secundum Dionysium IV. cap. de div. Nomin. sol est principium, & fons luminis, illuminans superiora, & inferiora corpora; & ideo per lucem illam ipse intelligit lumen solis tunc informe, & Magister etiam dicit in littera, quod ex ea formarum est corpus solis.

Ad tertium dicendum, quod circa hoc est duplex opinio. Damascenus enim dicit, Lib. II. de Fid. orth. cap. VI. quod in illo die fiebat dies, & nox per contractionem luminis, & emissionem; sicut etiam suos radios sol retraxit in terra Egypti, cum alibi lux esset; ut dicitur Exod. x. & similiter in passione Domini, quando tenebræ factæ sunt super terram, ut habetur Matth. XXVII. Sed hoc non potest esse: quia illuminare est actio à corpore lucente pro-

veniens, secundum necessitatem naturæ; & ideo oportet quod semper illuminet corpora sibi directe opposita; nisi forte poneretur habere aliqua cooperacula, sicut sunt palpebræ oculorum, quibus se tegeret: quod est ridiculum dicere: aut nisi ponatur hoc virtute divina fieri, & quasi miraculose; & hoc non convenit ponere in prima institutione naturæ, ut Augustinus dicit, Lib. II. de Gen. ad lit. cap. 1. Et præterea exemplum de passione Christi non est conveniens: quia obscuritas illa non fuit facta per contractionem radiorum solis, sed per interpositionem corporis lunaris, ut Dionysius in epistola VII. ad Policarpum dicit, sicut etiam fit in eclipsi solis; quamvis tunc tempus non esset eclipsis, unde miraculosa fuit. Et ideo alij dicunt, ut in littera dicitur, quod dies, & nox fiebant per motum circulem illius lucis, quo accedebat, & recedebat. Nec est inconveniens substantias spherarum, quæ lucem revolverent, à principio creationis fuisse, quibus postmodum aliquæ virtutes collatæ sunt in operibus distinctionis, & ornatus. Aut si substantiæ spherarum non erant suis figuris determinatæ, ipsum corpus lucidum naturaliter circulariter movebatur, cum esset de natura quintæ essentiæ; & ita suo motu circulum describebat, sicut lapis suo motu lineam rectam facit rectius etiam quam ars.

Ad quartum dicendum, quod substantia corporis solaris à principio creationis in sua forma substantiali fuit: unde ipsum corpus lucidum substantia solis fuit. Sed dicitur ex eo sol quarta die factus per additionem novæ virtutis, sicut dicitur ex homine non musico fieri homo musicus.

Ad quintum dicendum, quod non fuit nubes secundum veritatem substantiæ, sed secundum similitudinem proprietatis: quia sicut nubes lucida recipit lumen à sole in minori claritate quam sit in ipso fonte; ita etiam substantia solis habuit primo lumen imperfectum, quod postmodum quarta die consummatum est.

ARTICULUS V.

Utrum Pater faciat omnia per Filium.

1. **A**D quintum sic proceditur. Videtur quod Pater non faciat omnia per Filium. Illud enim per quod fit aliquid, immediatius se habet ad effectum quam faciens per ipsum. Sed Filius non est immediatius principium rerum quam Pater, cum ambo æque immediate operentur. Ergo Pater per Filium non operatur.

2. Præterea. Per denotat habitudinem causæ. Sed Filius respectu nullius quod est in Patre, causa, vel principium dici potest. Ergo Filius non est per quem Pater operatur.

3. Præterea. Secundum Damascenum, Lib. II. de Fid. orth. cap. 111. in fin. excogitatio Dei est opus ejus. Sed non potest dici, quod Pater sit sapiens per Filium, vel intelligens. Ergo videtur quod nec per Filium operetur, cum idem sit Deo esse quod operari.

4. Præterea. Per notat causam mediam. Filius aut est causa prima. Ergo videtur quod non convenienter dicatur Pater per Filium operari.

Sed contra est quod dicitur ad Heb. 1. 2. *Quem constituit heredem universorum, per quem fecit & servavit.*

In II. Sent. Tom. II.

(1) *Al. per balivum.*

Præterea. Quilibet artifex per suam artem operatur. Sed secundum Augustinum, super Joan. tract. 1. Filius est ars Patris plena rationum viventium. Ergo Pater per Filium operatur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod operari per aliquem dicitur dupliciter. Uno modo operari per virtutem alicujus, sicut dicitur balivus operari per Regem, scilicet per potestatem Regis sibi commissam, quæ immediatior est operi quam virtus ejus: & hoc modo nec Pater per Filium, nec Filius per Patrem dicitur operari: quia una & indivisibili virtute ambo operantur. Alio modo dicitur aliquis operari per aliquem sicut per operantem: & hoc modo Rex (1) per præfectum operari dicitur. Et huius distinctionis ratio est, quia cum operatio sit medium inter operantem & operatum, causalitas importata per præpositionem per potest referri ad operationem secundum quod exit ab operante; & sic dicitur aliquis operari per illum qui est causa quod iste operetur, & est ille cuius virtute operatur: vel potest referri ad operationem, secundum quod terminatur ad operatum; & sic dicitur aliquis operari per illud quod est ab operante ordinatum ad operatum in causa. Unde designatur auctoritas in operante respectu ejus per quem operatur, in quo est causalitas respectu operati. Sed hoc contingit dupliciter. Uno modo quando illud quod ordinatur ab operante ut causa operati, est causa ejus secundum virtutem aliam à virtute operantis, quam tamen ab ipso recipit; & hoc oportet esse instrumentum operantis, in quantum est motum ab operante, vel per imperium, sicut servus, vel motu corporali, sicut res inanimata, ut securis. Unde Philosophus dicit in VIII. Eth. cap. XI. quod servus est sicut organum animatum, & organa sunt sicut servi inanimati. Et hoc modo Pater per Filium non operatur, sicut hæretici intelligebant. Alio modo quando eadem virtute operatur, quam tamen ab operante recipit; & sic dicitur Patrem per Filium operari, quia est causa ipsorum operatorum una & indivisibili virtute cum Patre, quam tamen à Patre nascendo recipit.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis Deus operetur effectus naturæ per causas naturales, ipse tamen immediate in omnibus effectibus naturæ operatur: unde multo fortius immediate operatur in est immediatius principium rerum quam Pater, cum his quæ per Filium facit, cuius est eadem numero virtus quæ est & Patris.

Ad secundum dicendum, quod causalitas præpositionis non refertur ad operantem sed, ad operatum, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur, Pater intelligit, non connotatur aliquid respectu cuius Filius possit esse principium; & ideo non potest dici, quod Pater per Filium intelligat, vel sciat, sicut dicitur in illis quæ effectum in creatura implicant.

Ad quartum dicendum, quod primum dicitur quod non est aliquid prius. Illa autem auctoritas Patris respectu Filii, in quantum Filius à Patre habet & esse, & operari, ratione cuius Pater per Filium operatur, non facit Patrem Filio majorem, vel priorem esse. Unde non sequitur quod Filius non sit prima causa ex hoc quod Pater per Filium operatur.

R

EX-

EXPOSITIO TEXTUS.

HIC notandum est, quod dies diversis modis accipitur in Scriptura. Hic ponit acceptiones diei. Una est secundum quod dicimus diem naturalem qui habet viginti quatuor horas; & sic sumitur quod habetur Gen. 1. 5. Factum est vespere, & mane dies unus. Alio modo secundum quod dicitur artificialis, scilicet tempus quo sol nostrum hemisphaerium illuminat; & hoc modo sumitur cum dicitur ibid. quod tenebras appellavit noctem, & lucem diem. Qui non ab aurora, sed a plena luce inchoavit. Videtur hoc esse falsum: quia a plena luce, qua est in meridie, usque in mane alterius diei non sunt viginti quatuor horae: & ita primus dies non habuisset tot horas, sicut in littera dicitur. Ad quod dicendum, quod in primo die dicitur dies non habuisse

auroram; non quod lux illa qua suo motu diem faciebat, in oriente creata non fuerit; sed quia prima illi illuminationi tenebrae commixtae non erant, sicut modo est: eo quod aurora nunc est finis noctis, & principium diei, quod tunc non contigit.

Potest et aliter illud accipi. Hec expositio differat a praedicta in hoc quod praedicta sumebatur secundum operationem quam Filius a Patre habet; haec vero sumitur ex parte operantis, secundum quod Filius, qui est operans, a Patre est.

Si enim causa ejus Pater est, secundum quod Pater est, multo amplius eorum causa est qua per Filium facta sunt. Hic communiter, & improprie Chrysostomus loquitur. Non enim proprie in divinis personis causa recipitur; sed nomine principii utitur ad signandam originem personarum: & de hoc in I. Libro. dictum est.

DISTINCTIO XIV.

De opere secundae diei, qua factum est firmamentum.

Dixit quoque Deus: Fiar firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. Divisitque aquas quae erant sub firmamento ab his quae erant super firmamentum. Gen. 1. 6. 7. Sciendum est, quod illius caeli hic describitur creatio, sicut ait Beda super Genesim, in quo fixa sunt sydera, cui superpositae sunt aquae in aere; & in terra, & superpositae aliae, de quibus dicitur, Psalm. ciii. 3. Qui regis aquis superiora ejus. In medio ergo firmamentum est, idest sydereum caelum, quod de aquis factum esse credi potest. Chrystalinus enim lapis cui magna est firmitas, & perspicuitas, de aquis factus est. Si quem vero moveret, quomodo aquae natura fluidae, & in ima labiles, super caelum possint consistere, de Deo scriptum esse meminerit, Job xxvi. 8. Qui ligat aquas in nubibus suis. Qui enim infra caelum ligat aquas ad tempus vaporibus nubium retentas, potest etiam super caeli sphaeram non vaporali tenuitate, sed glaciali soliditate aquas suspendere, ne labantur. Quare autem, & ad quid conditae sint, ipse novit qui condidit. Ecce ostensum est his verbis, (1) quodnam caelum factum sit, scilicet illud in quo fixa sunt sydera, idest quod excedit aerem; & de qua materia, scilicet de aquis; & quales sint aquae quae super illud caelum sunt, scilicet (2) ut glacies solidatae sunt.

Alii putant, caelum illud esse igneae naturae: quibus consentit Augustinus.

Quidam vero caelum quod excedit aeris spatium, igneae naturae dicunt, asserentes, super aerem purum ignem esse, qui dicitur esse caelum: de quo igne sydera, & luminaria facta esse conjectant: quibus Augustinus, II. super Gen. ad lit. cap. xl. consentire videtur. Utrum vero nomine firmamenti, caelum quod excedit aerem, an ipse aer hic intelligatur, Idem Augustinus quaerit, nec absolvit. Magis tamen approbare videtur, caelum illud hic accipi quod spatia aeris hic excedit; aquas vero quae super illud caelum sunt, dicit vaporaliter trahi, & levissimis suspendi guttis: sicut aer iste nubilosus exhalatione terrae aquas vaporaliter trahit, & per subtiles minutias suspendit, & post corruptentius conglobatas pluvaliter refundit. Si ergo potest aqua, sicut videmus, ad tantas minutias pervenire, ut feratur vaporaliter super aerem, aquis naturaliter leviores; cur non credemus etiam super illud levius caelum minutioribus guttis, & levioribus emanere vaporibus? Sed quoquo modo ibi sint, ibi esse non dubitamus.

Quales sint aquae; & quae sit figura firmamenti.

Quaeri etiam solet, cujus figura sit caelum. Sed Spiritus Sanctus, quamvis auctores nostri sciverint, per eos dicere noluit, nisi quod prosit saluti, ubi sup. cap. ix. Quaeritur etiam, si stet, an moveatur caelum. Si moveretur, inquirunt, quomodo est firmamentum? Si stat, quomodo fixa sydera in eo circumveant? Sed firmamentum dici potest, non propter stationem, sed propter firmitatem, vel terminum aquarum intransgressibilem. Si autem stat, nihil impedit moveri, & circumire sydera, loc. cit. cap. x.

Quare tacuit Scriptura de opere secundae diei, quod in aliis dixit.

Post haec quaeri solet, quare hic non est dictum, sicut in aliorum dierum operibus, Vidit Deus, quod esset bonum. Sacramentum aliquod hic commendatur. Ideo enim fortassis non est dictum, quod tamen sicut in aliis factum est, quia binarius principium est alteritatis, & signum divisionis.

(1) Al. quod caelum. (2) Al. ut glacies soliditate. Nicolai: ut glacie solidatae.

De

De Opere tertiae diei, quando aquae congregatae sunt in unum locum.

Sequitur, Gen. 1. 9. Dixit Deus: Congregentur aquae in unum locum, & appareat arida. Tertia diei opus est congregatio aquarum in unum locum. Congregatae enim sunt omnes aquae caelo inferiores in unam matricem; ut lux qua praeterito biduo aquas (1) clara luce illustraverat, in puro aere clarior resplunderet; & appareat terra, qua cooperta latebat; & qua aquis limosa erat, fieret arida, & germinibus apta. Eodem enim die protulit terra herbam virentem, lignumque faciens fructum. Si autem quaeratur, ubi congregatae sunt aquae, quae totum tegerant spatium usque ad caelum: potuit fieri ut terra subsidens concavas partes praerberet, ubi fluctuantes aquas reciperet. Potest etiam credi primarias aquas rariore fuisse, quae sicut nebulae reterent terras; sed congregatione esse spissatas; & ideo facile in unum posse redigi locum.

Quomodo omnes aquae sunt in unum locum congregatae, cum multa sint maria, & flumina.

Cumque constet esse multa maria, & flumina, in unum tamen locum dicit aquas congregatas propter continuationem omnium aquarum quae in terris sunt: quia cuncta flumina, & maria magno mari junguntur. Ideoque cum dixerit aquas congregatas in unum locum, deinde dicit pluraliter, Congregationes, quae aquarum, propter multos sinus earum, quibus omnibus ex magno mari principium est.

DIVISIO TEXTUS.

Determinato primo opere distinctionis, quo lux formata est, hic determinat de opere secundae distinctionis, quod secundae diei competit, in qua firmamentum esse factum describitur. Dividitur autem haec pars in partes duas. In prima ostendit distinctionem secundo die factam; in secunda movet quasdam quaestiones, ibi: Quaeri etiam solet, cujus figura sit caelum. Circa primum duo facit. Primo determinat opus primae distinctionis secundum positionem quorundam dicentium, firmamentum ex aquis factum esse; secundo secundum expositionem eorum qui dicunt, firmamentum esse de natura ignis; ibi: Quidam vero caelum quod excedit aeris spatium, igneae naturae dicunt.

Quaeri etiam solet, cujus figura sit caelum. Hic movet tres quaestiones. Primam de figura caeli; secundam de motu ejus, ibi: Quaeritur etiam, si stet, an moveatur caelum; tertiam, quare praetermittitur hujus diei benedictio, ibi: Post hoc quaeri solet, quare hic non est dictum sicut in aliorum dierum operibus.

Sequitur: Dixit Deus: Congregentur aquae in unum locum. Hic ponitur opus tertiae distinctionis, ad quod tertia dies deputatur; & circa hoc duo facit. Primo describit opus tertiae diei; secundo movet quasdam quaestiones circa hoc, ibi: Si autem quaeratur, ubi congregatae sunt aquae... potuit fieri ut terra subsidens concavas partes praerberet, ut fluctuantes aquas reciperet. Ubi primo quaeritur de congregatione aquarum; secundo de unitate, & pluralitate earum, ibi: Cumque multa constet esse maria, & flumina, in unum tamen locum dicit aquas congregatas propter continuationem.

QUESTIO I.

HIC quaeruntur quinque.

Primo. Utrum supra firmamentum sint aliquae aquae.

Secundo. Cujus naturae sit firmamentum.

Tertio. A quo moveatur.

Quarto. De numero caelorum.

Quinto. De opere diei tertiae.

In II. Sent. Tom. II.

(1) Al. data. (2) Al. diurno, quia partibus sphaerae &c. (3) Al. additur quia. Ex Edit. P. Nicol. (a) Lib. I. Topic. cap. vi.

ARTICULUS I.

Utrum aquae sint super caelos.

I. P. quaest. lxxviii. art. 2.

AD primum sic proceditur. Videtur quod aquae super caelos sint. Quia, ut dicit Augustinus, II. super Genes. ad lit. cap. v. major est sacrae Scripturae auctoritas quam omnis humani ingenii perspicacitas. Sed Scriptura in pluribus locis aquas super caelos esse commemorat. Ergo videtur quod nulla ratione negandum sit.

2. Praeterea. Homo dicitur minor mundus, quia in eo est similitudo totius universi. Sed in corpore humano cerebrum, in quo est frigiditas, secundum Philosophum, II. de part. animal. cap. vii. est positum supra cor, quod est fons totius caliditatis. Ergo videtur quod in universo aqua sit supra ignem collocata, & supra solem.

3. Praeterea. Secundum Philosophum in II. Coel. & mund. tex. xlii. corpora caelestia per velocitatem sui motus, in inferioribus calore generant. Sed Saturnus inter alios planetas velocissime movetur motu (2) diurno, quia in partibus sphaerae quanto pars plus distat a centro, tanto velocius movetur. Ergo oportebit secundum hoc quod Saturnus sit calidissimi effectus, cujus contrarium ab Astrologis dicitur. Oportet ergo ibi esse aquas, per quarum propinquitatem calor Saturni minuatur.

4. Praeterea. Omne continuum divisibile est in infinitum, ut I. de Coel. text. ii. Sed (3) aqua aliquo modo divisa per rarefactionem ad aliquod spatium aeris ascendit, ut quando vapores elewantur. Ergo tantum poterit dividi quod supra caelum ascendet; & ita videtur aquas super caelum esse.

Sed contra. Corpori ejusdem speciei debetur unus locus naturalis secundum numerum: unde in III. Physic. text. xlvi. dicitur, quod ad eundem locum movetur pars terrae, & tota terra. Sed omnis aqua omni aquae est eadem secundum speciem, ut Philosophus dicit (a) V. Physic. text. xlv. Cum ergo naturalis locus hujus aquae sit sub aere, & super terram, quod motus ejus ostendit; videtur quod supra caelum locus naturalis aquae esse non possit.

Praeterea. Secundum Philosophum in IV. Physic. text. xlii. corpus continens se habet ad corpus contin-

R 2